Cracoviensis Stud. Univ. Jag.
Promotiones Philos. Ord.
1648 27 aprilis

Soscii Bartholom: Pallas Academica —

PALLAS ACADEMICA,

Venerabilibus XII. Secundæ Laureæ Licentiatis,

Perpetuò virentes Coronas elargiens.

Dum in frequentiſsimâ, Clariſsimorum Hoſpitum, Coronâ publicè, ritu ſolenni

OPERA

Excellentiſſimi ac Doctiſſimi Viri,

M. MARTINI RADYMINSKI, Collegæ Maioris, Artium Magiſtri, & Philoſophiæ Doctores renuntiarentur.

PER

BARTHOLOMÆVM SOSCIVM *Rauen.* *Eiuſdem Laureæ Licentiatum, virentibus metri corymbis, exornata.*

Anno à Puerperio Virginis, M. DC. XLVIII. Menſe April. Die 27.

CRAC. *In Officina Typographica Franciſci Cæſarij, S. R. M. Typog.*

IN STEMMA PERILLVSTRIS DOMVS ROMISZOVIANÆ.



TItan ſerenum quamdiu tollet caput
Ponto: ſubibit littus & Tarteſsium
Certabit Haſtis tamdiu victricibus
Auguſta ROMISZOVII Proſapia,
Pro Patriâ, & Caſtiſsimâ Sponsâ DEI.

Perillustri, & Adm. Rndo Domino,

D. IOANNI ROMISZOWSKI,

Præposito Infulato Łascensi,

Scholastico Cracouiensi,

Gnesnensi, Łanciciensi, CANONICO,

Comitiorum Tribunalitiorum Regni Deputato,

S. R. M. SECRETARIO,

Domino & Patrono suo Colendissimo.

BARTHOLOMÆVS SOSCIVS Rauensis, Secundæ Laureæ Licentiatus S. & F.

SEcutum ver hyemem, Perillust. & Adm. Rnde Domine, post hybernam caliginem, terra velut purpureis floret rosis, tandem pulsá curarum nube serenum resplenduit, dum laboriosorum Palladis Academicæ Satellitum, diu multumq;, non impigrè certantium, virtus & dexteritas meruit coronari. Et quantumuis virtus ipsamet pretium sibi sit, nil opis externæ cupiens, quantumuis illa sibi sit pulcherrima merces, & Diuitiis animosa suis, immotaq; cunctis Casibus, ex altâ mortalia respuat arce: ea tamen illius natura est, vt tantò vberius germinet, quantò altius exurgit, manuq; fulcitur alienâ. Sanè, & qui mordaces apum aculeos sustinet, dulcedinem mellis experiri studet, & qui spinis acerrimè pungitur, rosam decerpere nititur, & qui serere non dubitat, oblectatur desiderio messis exoptatissimæ.

Non quicquam fruitur Veris odoribus
Hyblæos latebris nec spoliat fauos,
Si fronti caueat, si caueat rubos,
Armat spina rosas, mella tegunt apes.

Omninò magna præmia, magnis semper emuntur periculis. Nemo sine puluere coronatur. Enimuerò virtus hæc atq; dexteritas à Pallade coro-

 nata,

nata, candorq; pullulantium, vitis nostræ, gemmularum, quem tandem sibi adsciscet Patronum. qui illum, aduersus calumniæ morsum tuebitur? Non alterius profectò cuiuspiam; quàm Tui splendoris luce collustrari, & fortissimo Perillustris Nominis Tui robore communiri; Hastarumq; Tuarum præsidio à maleuolorum hominum impetu, obtrectatorum insultibus, aduersariorum sugillationibus, expetit vindicari; qui optimus promotor es virtutis. Felix ego, qui in Tui affectus, placidissimo recumbam gremio. Felix & hic, tametsi exilis ingenij mei partus, qui suum Te semper gloriabitur esse Patronum. Sed neq; egregios hos Academicæ Palladis athletas infelices, qui sub firmissimo Hastarum Tuarum præsidio lenissimè conquiescent, nimirum illi; tantò fortiori pede dimicabunt, tantò existent in ipso animosiores certamine. Quid quod etiam hoc me debita pietas, & gratitudo, hoc vitæ Tuæ studia, hoc auita, & peruetusta Tua Prosapia facere coëgit. Ingressus es fausto pede, & felici omine, Diœcesis huius Horizontem, atq; ita lucidissimum splendes sydus, vt & Diœcesis hæc, & Patria nostra longè charissima, Tuum, Tuæq; vitæ, abundè satis experiatur, splendorem. Tu Ecclesiæ Christianæ columna ardens, Tu Reipub. basis firmissima, Tu in Tribunalitiâ Coronâ, æqui sustentandi palma fortissima: Tu ad extremùm (vt paucis grauia complectar) Heroici animi, viua idæa, atque prototypon haberis. Prô, quàm generosos omnia decent. Viue ergo felix, & fortunatus quàm diutissimè, quàm felicissimè: viue Ecclesiæ, Peraugusto delubri Cathedr. Cracouien. Capitulo, vt Patronus vigilantissimus; Reipub. Tuis, Palladi Academicæ, ipsius Togâ ornato exercitui, promotor felicissimus. Meq;, Tibi innatis, candido more, puro ore, syncero candore amplecti, & prosequi velis, vt clientem Tuum

&

Tibi obsequentissimum

BARTHOLOMÆVM SOSCIVM

Rauensem, Secundæ Laureæ Licentiatum.

Almæ

Almæ Parenti
ACADEMIÆ
Vates ſupplex accinit melos.
ODE Monocolos.

QVot vere, flores, explicat pratum virens,
Quot Hybla, gratas, Trinacris, ſpargit roſas,
Ardens coruſcis, quot Polus Stellis nitet,
Tuum tot Almi Filij cingunt Sinum:
Quot flexa dulces procreat vitis botros,
Quot delicatas germinat vuas, vepres:
Littus marinum quot ſuperbit gemmulis,
Tuum tot Almi Filij, cingunt latus.
Plantis amœnus, quot nouis Hortus tumet,
Fœcunda ſpicis, quot nouis gaudet Ceres.
Inſigne, quot Carbunculis ſertum nitet,
Tuum tot Almi Filij, cingunt caput:
Auguſta Mater, Gemma vernans, frigidi
Septemtrionis lumen, & primum decus,
Orbis magiſtra Lechici grauiſsima,
Columba ſimplex, publici parens boni.
Hyblæa fœtus, ſic parit nouos apis,
Sic rara Phænix naſcitur, ſic Daulias
Ales, iuuentæ flebile inſtillat melos,
Fuluus Tonantis armiger, nido gregem
Sic extrahit, Solique vicinum facit.

Et Tu sacratæ docta Præses Palladis,
Antistitum laus, summa Regum filia,
O prouidentis consilî fælix Parens
O faustitatis Mater, & Pia Artium
Nutrix, Polonæ gentis & solatium,
Ipsâque maiestate maior, Patriæ
Felicitatis Numen excellentius.
Quos nutrijsti lacte materno diu,
Quos Artibus, Scientijs, virtutibus,
Fabrè expolîsti, cara semper pignora,
Expone luci publicæ, viros crea,
Ornato: frontem fronde cingas floridâ.
Vesti Tyarâ splendidâ, nitens caput,
Laboriosas annulò premas manus,
Largire librum; ceu Parens complectere;
Hoc postulat probata virtus, & Labor.
Cælo beabit, Musa præclarum Tuum
Nomen, vetabit Pegasis necnon mori.
Verè beatum est, gloriam virtutibus
Laudesque conferri Labori sedulo
Verè beatum est, Præmium dignum suæ
Referre doctrinæ, studî & Palmam sui.

I. V. D. *IACOBO SMOLENSKI Acursio Florentino Iurisconsulto. Corona Muralis, aurea, pinnis muri ornata, quam adorno tali Epigraphe*: Tu, ne cede.

QVi prima tentans prælij pericula,
Firmata celsis turribus, transcenderet

Vallisque, primus transiliret mœnia
Intraret, ac vrbem hostium magno impetu:
Murale Sertum, debitum eius vertici
Celso dabatur, mœnium circumdatum
Pinnis, & auro fulgidum spectabili.
Tu verò ad Arcem Palladis dum tenderes,
Miles, subisti primus eius Pergama
Vrbemque primus splendidam; Ergo sydere
Fausto, coronam hanc, miles Alme tollito,
Minerua totum, & Themis hoc vouet Tibi.

II. *V.D. ANDREÆ MVCHOWIECKI Themistio Corona Ciuica, cum tali Lemmate:* Ob ciues seruatos.

VIndex ille fori, Legum, ritusque, Togæque,
Facundiæ primus parens
Romanæ: summam Patriæ pestem Catilinam,
Ex vrbe Romanâ procul
Dum pepulit, fraudesque eius, technasq; retexit,
Sacro in Senatus Ordine
Ciuica serta dedit capiti tunc Gellius, eius
Palmamque celso vertici.
At Tu Serta petis, capiti dum Laurea nostro,
Nostroque Honori consulis:
Quando suaue fluit, prædulci, nectar ab ore,
Nostri in Senatus ordine:
Debentur capiti laudato, Ciuica Serta,
Doctâ apprecante, Pallade.

III. V.D.

III. *V. D. MARCO NIEMIROWSKI Eumonio Rhetori. Corona Myrthea, cui tale subscribo Lemma:* Circulus res mortalium.

MYrthus saporis optimi baccas parit,
Fauetque amœno littori:
Odore vincit candidas grato rosas,
Quandoque planis insidet
Ripis: & oblectatur angustis comis.
Splendescis & Tu dotibus
Magnis: odores Artium, & suaues paris,
Quin prouidæ Tritonidi
Te consecrasti, NIEMIROVI, Myrtheo,
Tuum ergo cingit verticem
Fœcunda Pallas, MARCE, Serto; sed scias,
Fido & teneto pectore,
Extare semper infidas, & lubricas,
Mortalium res, Circulum.

IV. *V. D. IOANNI RĘKAWOWIC Platoni. Corona Gemmata, cum tali Lemmate:* Virtutis, & Laboris vnio, splendet.

NAscuntur vndis lacteæ felicibus
Gemmæ, nitentque in aureis monilibus,
Ornant Coronas Regum, & Artes Principum,
Sunt virginalis floris igneæ notæ.
Quid plura? Gemmæ denotant faustam diem,
Laboriosis, nonnisi ac Indis patent.
Gemmata, sed quis serta, IOANNI, dedit?

Augusta

Auguſta mater. Vidit ortum Sydere
Benigniori, & mitiori Numine,
In vrbe, primi Conditoris, Craciâ,
Vidit nitentem inter phalanges Palladis,
Candore raro, ſedulâque induſtriâ,
Virtute, puris moribus, modeſtiâ,
Vidit nitentem gemmulam, inter gemmulas,
Præcinxit ergo Gemmeo Serto, caput.

V. *V. D. NICOLAO GRZEBINSKI, Iſocrati Oratori. Corona obſidionalis, cum tali Symbolo*: Alijs victoriam, ſibi trophæum.

VRbi militibus cinctæ, quicunque dediſſet
Conſtantem, & audacem manum,
Gramine vernanti, & viridi de ceſpite ſecto
Præcinctus olim, nomine
Vrbis totius, mixtâ quoque floribus herbâ,
Claro virebat vertice,
Tu non militibus, ſed magnis vndique ſeptos
Doctoribus, nos, martio
Robore, & ipſum Te, egregiâ virtute probaſti,
Venâque dulcis ingenî:
Ergo Te noſter, NICOLAE, amplectitur orbis,
Sertoque deuincit, caput
Gramineo, roſeum. quò virtus, Te, vocat, Ito,
Quò magnus ingenî vigor.
Nunc Tibi Flora, comas, parienti gramine ſpargit,
Sub arbore, & ludit Tibi

Maturâ, Pomona. Tibi, Tibi, Sacra Themiſtos,
Applaudit. ipſe & Tullius
Ornat Te ſuaui eloquio, Cydarim Tibi firmat,
Erato, filia & Iouis.

VII. *V.D. IOANNI SLIWINSKI. Cleanthi. Corona Naualis aurea, & quaſi nauium roſtris inſignita. Cui talis Epigraphe:* Sic virtus coronatur.

GRaſſante verò Rege Ponti Nereo,
Et Claſsium tumultibus,
Qui primus inſtructam hoſtium aſcendit ratem,
Athleticâ potentiâ
Armatus, Auro ſplendidum Sertum ſuo
Geſtabat ille vertice.
Et Tu, ſecundis fluctibus nuper citam
Ingreſſus es Tritonidos
Cymbam, Charybdes atque viciſti truces
Moleſtiarum triſtium.
Largitur ergo Nereus noſter, Tuo
Nauale Sertum vertici.
Hoc Pallas, hoc Scientia Aſtrorum inclyta,
Inſomnis hoc poſcit labor.

VIII. *V. D. VALENTINO GNIEWISZ. Triboniano Corona Oleaginea. Cui talis Inſcriptio:* Virebis, & Tu.

OLiua frondens, Pacis extat Symbolus,
Iouiſque ſummi, conſecrata eſt filiæ,

Semper

Semper virescit, semper vberes parit
Fructus, seniles nec timet rugas, potens
Contra, est, bipennes. Et Te amoenæ Palladi,
Roburque pridem consecrasti Martium,
Bellator Alme, miles Alme Palladis;
Pacata castra candidæ sequens Deæ,
Noctes, diesque conseris fortes manus.
Semper virescis, semper vberes paris
Fructus, labores sedulis laboribus
Addendo, nunquam viperas times truces.
Ergo Te Oliuâ, cingit Inuentrix olêæ,
Mille, & precatur faustitates, in dies.

IX. *V. D. STANISLAO GRVDOWIC Peroto Grammatico Corona Populnea. Cui tale subscribo Lemma*: Fortior Alcide.

SPargit rorifluum tegmen, Phaëtontias arbor,
Vndisque gaudet frigidis:
Candida, candoris, Typus est, albedo: comæque
Insigniunt multæ arborem,
Arbor procera est, nullis euertitur Euris,
Tirinthio grata Herculi.
Et Tu Mæoniâ, viuis STANSLAE, sub vmbrâ,
Fontemque libas Pegasi:
Fertile pectus habes, & sunt Tua pectora, dulci
Lacti, & niui conformia.
Te Natura suis, satis ac satis ampla, secundè,
Sublimibus donis beat:

Quin &Cecropiæ, Lauro Parnaſside cinctæ,
Te dedicaſti Virgini.
Ergo Populno innectit Tua Tempora Serto,
Vouetque vitam Neſtoris.

X. *V. D. SAMVELI MICHNIEWIC Thaleti Mileſio, Corona Liliacea. Cum tali Epigraphe:* Illibati Honoris index.

VIncit Sabæas flore ſyluas Lilium,
Candore, & anteit roſas,
Necdum reſectas virginali dexterâ:
Vincit liguſtra albentia.
Non ſic renident Syderum igneæ faces,
Et delicatæ gemmulæ,
Stillæq; roris, Candidæ & flocci niuis,
Plumæq; auis Cayſtriæ,
Non ſic odori floſculi rident; nitet
Quali decore Lilium.
Illuſtrioribus magis decoribus,
Et Gratijs pectus nitet
MICHNIEVIANVM. Nam ſuum in Te candida
Virtus locauit nidulum.
Tu cæteris Palmam Labore præripis,
Induſtriâq; ſedulâ:
Cingant licet Te zoili, ceu Lilium,
Spinæ: tamen ſplendes, Tibi
Ex Lilijs ergo Coronam nexuit
Intacta Pallas; vtere.

XI. V. D.

XI. *V. D. ANDREÆ KORZENIOWSKI, Vincentio Leoniceno. Corona Adamantina. Cui tale Lemma*: Eidem ſemper Eadem.

ADamas rubentis munus haud leue æquoris,
Saxo, leuiq; marmore, extat durior,
Nec malleis, & nec nigris incudibus
Cedit, nec incaleſcit atris ignibus,
Nec eſt venenis Colchicis obnoxius,
Lymphationes pellit, & formidinem
Procul ab calenti pectore anxiam fugat,
Quin ſauciat, percuſſus, acri vulnere:
Hircino at illitus, cruore rumpitur.
Immobilem conſtantiam Tuam arguit,
Quæ obiecta tot, tamq, arduis periculis,
Mille & timendis ingenî charybdibus
Immota manſit, Suſcitatis ignibus
Potentior, Spectriſq; viſis fortior.
Tibi Periclis robur, & Demoſthenis
Vis. ac ineſt Doctiſsimi Bizancij Ars.
Imponit ergo Nata Dictæi Iouis,
Adamantinam Tuo Corollam vertici.

XII. *V. D. CHRYSTOPHORO RACKI, Cratippo Mitileneo Corona Caſtrenſis aurea, cum tali Lemmate*: Tu contra audentior ito.

HOſtiles quicunq; manus, & Martia Caſtra
Primus ſubîſſet, Martio

 Robo-

Robore, virtuti tantæ diadema dabatur,
Caſtrenſe, valli inſigne habens.
Aonijs & Tu, deſudas, primus in agris,
Miles ſecutus Palladis
Armiſonæ doctas acies, atq; impigra Caſtra,
Athleticâ pridem manu
Certas, Muſa Tuo, dulci cum nectare, pridem
Hyblæa gutturi inſidet..
Tu flores loqueris, Tu Lilia candida ſpargis,
Quot verba, tot fundis roſas.
Te roſeus dulci Cytharâ dignatus Apollo eſt,
DEVS Tuum, pectus, mouet.
Tu Labyrinthæos Sophiæ dum pandis abyſsus,
Es luce Solis Clarior.
Es dignus, numero, qui connumerêre Sophorum,
Caſtrenſi & Auro fulgeas.

XIII. *V. D. HYACINTHO DYNDOWIC Metrodoro, Corona Tryumphalis. Cui talis Inſcriptio:* Macte, Tryumpha.

VIctor ſuperbo Currui, quando inſidens
Tot hoſtium cohortibus
Fuſis, ſuperbos Principum intrabat lares
Arcesq; Regum ſplendidas,
Serto implicabatur Triumphali caput,
Io canente milite.
Et Tu ſuperbis Cynthij conclauibus
Succedis, arduis pede

Preſsis

Presſis periclis. Ergo victorem nouum
Serto Triumphali Actius,
Apollo vincit, Lesbijs cinctus choris,
Felix tryumpha, & accipe.

Symbolum affectus,
SEV
LAVREA CORONA

V. D. BARTHOLOMÆO SOSCIO, Laurentio Vallæ, ceu Vati, & Amico intimo,

A

V. D. SAMVELE MICHNIEWIC,

Secundæ Laureæ Licentiato, contexta, necnon à Pallade Academicâ, vertici ipſius innexa, cum tali Lemmate: Virtutis, & Honoris præmium.

ODE Tricolos Tetraſtrophos.

NVbes receſsit turbinibus ferox,
Ceſsit, ſonoræ grandinis impetus,
Iam SOSCIVS Lauro reuinctus
Egregios celebrat tryumphos.

Pulſan-

Pulſanda nunc ſunt pectine barbita,
Nunc turba Sertis, cincta virentibus
Vel lilijs intexta vernis,
Pulſet humum, ſaliente plantâ.
Nunc Nympha lætis iuncta Sororibus,
Pulſet cynires, & pedibus choros
Apollo ducat, pulcher aptos,
Per iuga Pierij roſeti:
De rupe ſcandat Natus Apollinis,
Aptet tryumpho plectra ſonantia,
Vt Lauream vatis celebret,
Pollicibus, Cydarim, tenellis.
Ad ſiſtra colles Lauriferi choros
Ducant amænos, ſaxaq; frigidi
Dent Caucaſi plauſus amænos,
Herculeæq; tremant columnæ,
Deſcende cælis, barbite & aureâ
Vati trophæum Pierium cane,
Athlante quisquis, nixus alto
Æthereâ reſides curuli.
Sis ergo Lauro conſpicuus Tuâ,
Quam caſta Pallas nexuit, Attica
Quam vertici virtus parauit,
Cynthius hoc Tibi comprecatur.

SE BA-

SEBASTIANVS ŻELAROWIC,
Secundæ Laureæ Licentiatus,

Venerabili Domino

BARTHOLOMÆO SOSCIO, Rauensi,
Secundæ Laureæ Licentiato.

Ex ordine VI.

Ceu Vati, & Amico charißimo, Laurum Academicam intimo affectu gratulatur.

ODE Tricolos Tetrastrophos.

HÆres bicollis Phæbe sagittifer,
Pindi noueno Septus ab agmine,
Serto superbe peruirenti,&
Ex humero fluitante plectro.
Partem comantûm per iuga collium.
Perambulantem pollice nectere
Docto Sororum delegunto,
Floricomum diadema vati.
Partem sonorum tendere barbiton
Dextrâ niuali, bysthonios quoq;
Aptare neruos, & iocoso
Mentis opes resonare buxo.

Imploro ſed quem? Laurea conficit
Dum ſerta Mater, queîs venerabilem
Dignabitur veſtire frontem
Et meritos recinet Tryumphos.
Submitte dextræ Sceptrigeræ caput,
Dignum quod in ſe Theſſalicam ferat
Laurum. canendus, perpolito
Carmine, quod genius meretur.
Hâc cinctus ibis, Laudibus inclytis
Ad Aſtra SOSCI. Caſtaliâ duce
Virtute, quam nunquàm ſeneſcens
Diminuet reticendo, ſæclûm.

Venerabili Domino

BARTHOLOMÆO SOSCIO Rauenſi,
Secundæ Laureæ Licentiato,

MATTHÆVS FLORIANVS SOSCIVS,
Philoſophiæ & Eloquentiæ Auditor,

Fraterni amoris ergo, accinit.

ODE Tricolos Tetraſtrophos.

PAulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus. Threyciam chelym
Pulſato tandem. quid Poëta
Care, tuos remoratur auſus!

Vides

Vides vt altâ e rupe Heliconides,
Augurq; Apollo, præproperè ruit,
Fert Lauream Vati Corollam,
Eia Tuum reſonet celeuſma!
Vides vt acri curritet impetu,
Auguſta proles Sceptrigeri Iouis,
Teſtudinem auditura eburnam,
Eia Tuum reſonet celeuſma!
Accede Vates Caſtalijs choris,
Sis percelebri dignus Apolline,
Suum clientem T E ſalutat
Blandi fluis Helicon viretis.



Sub felicibus auſpiciis

Perilluſtris Admodum Rn̄di & Magnif. Dn̄i

IACOBI VITELLII,
Canonici Eccleſiæ Cathed: Crac.
S. Th. Doct. eiuſq́; Facultatis Decani,
RECTORIS ACADEMIÆ
Vigilantiſſimi,

&

PROCANCELLARII
Digniſſimi.